



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xv [i.e. xii]. Sed est scientia:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

(quæ quandoque in verum, quandoque in falsum inclinant) non enim est Facultas, quia non inclinat ad opposita sive ad utramque partem contradictionis; neque est Habitus purè instrumentarius, licet enim prosit, & adhibetur ad alias scientias obtinendas, per se tamen & propter se est expetibilis; neque est Fides humana, cum non innitatur auctoritati tradentium regulas, sed ipsi regularum veritati, neque est Opinio vel Suspicio.

XII. Versatur denique Logica circa suum objectum scientificè, sive est scientia, tam quoad partem topicam & sophisticam, quam quo ad analyticam, saltem secundum nobiliores suas conclusiones (neque opus est ad aliquam scientiam, ut omnes omnino ejus conclusiones sint scientificæ) quia hæ deducuntur ex præmissis certis & evidenter, qualis est hæc: *ergo definitio debet constare genere & differentiam*: deducta ex his præmissis: oratio explicans rei naturam debet id facere per genus & differentiam, definitio est talis oratio &c. ita tamen ut logica artificialis habitus sit primitus acquisitus, non per demonstrationem artificialis Logicæ, quam ipsa Logica artificialis docet facere, sed per demon-

B

stra-

strationem directam à Logica naturali,
quæ dein ex priuis rerum principiis de-
ducitur. Neque obstat scientiæ objecti
Logices contingentia; est enim illud quo-
ad existentiam contingens, sed quoad es-
sentiā seu connexionem prædicatorum
essentialium inter se necessarium; unde
licet operationes intellectus possint à no-
bis bene vel malè fieri, quoad existen-
tiam, id est, possit quis facere, ut non
existat verbi gratiâ definitio, vel ipsius
loco ponatur actus vitiosus; non possunt
tamen à nobis bene vel malè fieri quo-
ad essentiā, id est, non potest quis fa-
cere, ut essentia verbi gratiâ, definitionis
non sit, constare genere & differentiâ;
& sic licet habeant principium existen-
tiæ suarum proprietatum à nobis & à no-
stra directione, non habent tamen prin-
cipium veritatis suarum proprietatum à
nobis; sed ex natura sua, sive quod hæc
sit vera definitionis essentia, & quod sit
inter ejus prædicata connexio necessaria,
id habet ex natura sua. Neque obstat
objecti Logicæ singularitas, præterquam
enim quod non sit ratio, cur de singu-
lari-

latibus dari nequeat scientia , Logica saltem docens versatur circa singularia, non quatenus singularia , sed ut sunt in intellectu abstrahente ea à singularitate confusè cognita.

XIII. Non est autem Logica totalis una simplex scientia , seu unus simplex habitus & qualitas in essendo , virtute tantum & in agendo , nimirum inclinando ad distinctos specie actus, multiplex; sed collectio plurium partialium habituum , tot nimirum, quoi sunt distinctæ conclusiones demonstrativæ in logicâ ; cum actus specie distincti generent distinctos specie habitus, & habitus seu major facilitas nata ab actu syllogizandi saepius repetito accrescere non possit seu uniri habitui definiendi, utpote diversæ rationis. Certè si logica sit talis simplex qualitas, quæ tota acquiritur per primum actum , jam sciens facere propositionem, novit totam Logicam , quæ sequela frustra negatur , eò quod tali habitui adhuc desit relatio ad alia objecta, sine qua is non potest versari circa illa, quia relatio, utpote quæ activa non est , non potest esse ratio agendi. Neque patrocinatur

B 2

huic